

518.

1266 d. 16 Jul.

Calmar.

BIRGER JARLS Gåfvobref på Karleby till Eskilstuna kloster.

A. 3. 1. 1: 1.

Vniuersis presentes litteras inspecturis. B. dei gracia Dux sueorum. Salutem in omnium saluatore. Cum propter labilem fragilitatis humane memoriam sic contingat ea que rationabiliter & pie facta sunt, in dubium reuocarj, cautum esse putatur & consonum rationi res utiliter gestas que priuilegio perpetuacionis indigent, scripture testimonio cui magis solet in antiquis factis fides adhiberj, prudenter apud posteros memorie commendare. Auctoritate presencium volumus omnibus tam presentibus quam futuris esse notum Nos de consilio pariter & consensu dilectorum filiorum nostrorum scilicet Dominorum. W. Dei gracia Regis Sueorum. Magni Ducis. Domicellj. Ericj ac Benedictj Scholaris in nostrorum ac eorundem remissionem peccatorum, curiam nostram Carlæby in Strenginensi dyocesi, fratribus de domo Hospitalis jerosolymitanj Sanctj Johannis Baptiste, commorantibus in Eskilstunum cum omnibus attinenciis suis tam mobilibus quam immobilibus. videlicet colonis et agris. pratis. silvis & molendinis, cum plenaria possessione eidem curie adiacentibus perpetue donationis titulo contulisse ad habendum. & fruendum. ac perpetuo possidendum. Causas eciam regias ibidem emergendas dictis fratribus relinquimus exequendas, jure tantummodo expeditionis excepto, quod ibidem de cetero sicut hactenus fierj consueuerat, modis omnibus uolumus exhiberj. Vt jgitur predicta donatio maius robur obtineat perpetue firmitatis. sigilla, tam nostrum ac dilectorum filiorum nostrorum, quam etiam prelatorum regnj Suethie quj presentes fuerunt presentibus litteris apponj fecimus in testimonium & cautelam. Datum apud Carmarniam. Anno dominj M°.CC°.LX°.VI°.XVII°. Kal. Augustj. ¶ Jsti presentes fuerunt huic donationj. videlicet. dominj. Archiepiscopus vpsalensis Laurencius. Heinricus lincopensis. Vlf Scarensis. Karolus Arusiensis. & Ascerus werensis. Episcopi. ac alij clericj & Laicj quamplurimj. Existente fratre Heinrico dicto de hoosheit tunc Priore in andwarthæscogh.

Alla 10 sigillen äro bortfallna.

519.

1266 d. 17 Jul.

Calmar.

Påll. Legaten, Card. GUIDOS öppna Bref på 100 dagars aflat för dem, som lemna biträde till Wreta klostets byggnad.

A. 1. d. 67.

Vniuersis, christi fidelibus, per Regnum suetie constitutis, Frater Guido miseratione diuina . tt. sancti Laurencii in Lucina presbiter Cardinalis apostolice sedis Legatus, salutem in domino. Quoniam ut ait apostolus